

TEXT

SIGLA CODICVM

- A* Laudunensis 279 s. IX. mutilus
B Laudunensis 273 s. IX. (ex.)
R Paris. Lat. 14758 s. XIII. (olim Victorinus 380).
E Paris. Lat. 8321 s. XV. (olim Colbertinus).
G Sangallensis 48 s. VIII. vel IX.
-

EDITIONES ET COMMENTATIONES

<i>Mir.</i>	Miraeus (Parisiis 1544).	<i>Quesn.</i>	Quesnel (² Lugduni 1700).
<i>Mor.</i>	Morelius (Parisiis 1560).	<i>Maitt.</i>	Maittaire (¹ Londini 1713; ² Hagae Comitum 1721).
<i>Fabr.</i>	Fabricius (Basileae 1564).	<i>Maff.</i>	Maffei (Veronae 1730).
<i>Grin.</i>	Grinaeus (Basileae 1570, fortasse Lipsii edit. anni 1550 secutus).	<i>Pol.</i>	Poletti (Venetiis ² 1748).
<i>Gill.</i>	Gillotius (¹ Parisiis 1572; ² Parisiis 1605).	<i>Ball.</i>	Ballerini fratres (Venetiis 1756).
<i>Zehn.</i>	Zehnerus (Lipsiae 1602 et 1604).	<i>Pis.</i>	Collectio Pisaurensis (Pisauri 1766).
<i>Col.</i>	Theologi Colonienses (Coloniae 1618).	<i>Ret.</i>	Rettig (Turici 1836).
^a <i>Barth</i>	Barthius (Hanoviae 1612)	<i>Pit.</i>	Pitra (Paris 1852).
^b <i>Barth</i>	Barthius (¹ Francofurti 1624; ² Francofurti 1648).	<i>Pit^G</i>	quod Pitra in cod. <i>G</i> legendum putavit.
<i>Barth</i>	Barthius in utroque opere.	<i>Patrol.</i>	Patrologia Latina (Migne) tom. 50 (Parisiis 1863).
<i>Weitz</i>	Weitzius (Francofurti 1625).	<i>Peip.</i>	Peiper (CSEL 23), (Pragae – Vindobonae – Lipsiae 1891).
<i>Desp.</i>	Despont = Maxima Bibliotheca (Lugduni 1677).	<i>Mgl.</i>	Miraglia (Diss. Napoli 1989)
<i>Coust.</i>	Constant = Editio Maurinorum (Parisiis 1693).	²⁰⁰¹ <i>Kr.</i>	²⁰⁰¹ Kreuz (Wien 2001), ubi a praesenti editione differt.

Non vidi: Hilarii Pictaviensis lucubrationes, ed. M. LIPSIUS, Basileae 1550; Hilarii Pictaviensis opera, Parisiis 1631; Hilarii Pictaviensis opera, Parisiis 1652; Leonis Magni Papae primi opera, ed. QUESNEL, Lutetiae Parisiorum 1675 (= ¹Quesnel); Hilarii Arelatensis opuscula, ed. J. SALINAS, Romae 1731; ¹POLETTI ~1741; Hilarii Pictaviensis opera omnia, ed. F. OBERTHÜR, Wirceburg 1785; Poetae ecclesiastici, ed. A. F. HUREZ, 4 vol., Cameraci 1822–1826, v. 3.

**HILARII QUAE FERUNTUR
METRUM IN GENESIN & CARMEN DE EVANGELIO
AD LEONEM PAPAM**

in gen. Paruimus monitis, tua dulcia iussa secuti,
 antistes Christi, quae dabas ore pio.
 An ego non canerem tanti praeconia patris,
 munus opusque dei, dum mihi lingua foret?
 5 Rauca quidem, stridens et nullis digna coturnis,
 ingeniumque iacens – sed libet alta loqui.

Dignum opus et iustum semper tibi dicere grates,
 omnipotens mundi genitor, quo principe cuncta
 natalem sumpsere diem atque exorta repente
 10 post tenebras stupidi spectarunt lumina caeli:
 gens hominum pecudesque ferae milleque volucres
 et quae per liquidos discurrunt agmina campos –
 omnia per temet, ex te, qui maxima condis,
 ex te nata, pater. Nec patris est pater alter:
 15 Tu caput es capit is, primi tu fontis origo,
 primus apex rerum, primus sator, omnia condens;
 nec tamen ex alio ducis genus: ipse perennis
 spiritus, antiquo vivens per saecula motu.
 Semper eris, quia semper eras: non mortis egenus,

BRE

in nomine domini nostri iesu christi incipit metrum sancti hilarii pectavensis episcopi in genesi. *inter columnas κιονηδόν scriptum legitur:* ad leonem papam *B* : Incipit metrum sancti hilarii pictaviensis episcopi in genesi ad lēnem papam *RE* || 2 antestis *B* | dabat *Mor.* || 3 non *Mor.* : nunc *BRE* || 5 strident *Fabr.* : stridunt *Barth* | coturnis *B* : coronis *RE* || 6 iacet *Fabr.* : tacens *Desp.* | libet *BRE* : licet *Barth* || 7 xri add. marg. *B* | post iustum add. est *RE* || 9 reperte *B* || 10 stupidi ... lumina caeli *Peip.* : stupido ... lumine coelo *B* : stupido ... lumina cęlo *RE* : stupido ... lumine coelum ^b*Barth*, col. 1613 || 11 fere *BRE* | milleque *BRE* : mille atque *Mor.* : pictaeque *Fabr.* || 13 temet *BRE* : te sunt *Fabr.* | ex te *BRE* : per te *Mor.* || 14 nata *Mor.* : nate *BRE* | post nec add. iam *Mir.* || 15 tu capit is caput primi tu fontis origo *B* : tu capit is primique caput tu fontis origo *RE* : tu caput es primique caput tu fontis origo *Mor.* : tu caput es capiti primi tu fontis origo *Peip.*

qui natalis inops, nec finem noverit aevi, 20
 ex se principium cui contigit; haud manet alter
 auctorem casus, nascentia terminus urget.
 Omnia cum tegeret nigrum chaos altaque moles
 desuper urgeret informis corpora mundi
 et caliganti premeret serotina nocte, 25
 nec species nec forma foret, deus intus agebas
 corporibus tectis mixtus, secreta potestas,
 iam tum disponens nascentia moenia mundi
 et varias rerum facies animasque futuras.
 Utque caput victa prompsisti caligine noctis, 30
 sublimem attollens vultum, sensere tenebrae;
 mox dominus rerum somnos discussit inertes,
 pigraque materies trepidavit momine pulsa
 commotaque simul maturo conscientia partu.
 Scinditur ingentis cumuli per plurima corpus 35
 membra, locosque simul metantur semina iussu,
 et confusa simul descendunt viscera molis,
 sectaque per partes formas spectantia frustra
 iam calor intus alit et blando suscitat igni.
 Ac primum caeli pensus liber, omnia mundi 40
 complectens spatia, celso suspenditur orbe;
 terra gravis pigro descendit pondere ad imum
 ac semet defixa salo fundata resedit,
 esset ut spatiuum vacuae regionis apertum,
 qua tener incedens mortalia pasceret aether 45

BRE

20 noverit *BRE* (*E ex moverit ut videtur*) : noveris *Mor.* || 21 ex se *BRE* : ex te *Mor.* || 25 et
BRE : atque *Mor.* | premerent *Mor.* | nocte *BRE* : morte *Peip. per errorem* || 28 iam tum
 disponens *B* : iam tumidis ponens *RE* : iam tumidi ponens *Mor.* || 30 prompsisti *Peip. in*
textu : promsti vel prompsisti *Peip. in Addend. et Corrigend.* : promsisisti *B* : promsisti *R* :
 prospisti *E* | prompsit victa ipse caligine noctis *Mor.* || 31 tenebras *B* || 33 momine *Weitz* :
 nomine *RE* : numine *B* || 34 commotaque *RE* : motaque *B* : et commota *Fabr.* | maturo
 conscientia partu *B Fabr.* : matura conscientia partu *R* : natura conscientia partu *E* : natura conscientia
 partus *Quesn.* || 36 locusque *BRE* : locosque *Mor.* || 37 simul om. *RE* | et iam confusae
 descendant *Mor.* : et confusa prius descendant *Weitz* : atque in confusas descendant *Col.* |
 moles *BRE* : molis *Mor.* || 38 formes *B ante corr.* | frusta *Mor.* || 40 ac vel at (*legi vix*
potest) *R* | passus *Mor.* || 41 complectens *RE* | spatia *BRE* : spacio *Mor.* || 43 salo *RE* :
 scelo *B* || 44 essetque ut *RE* | apertum *Mor.* : aperto *BR* : aperte *E*

quove exire patris possent tot munera rerum
 ortaque ferrentur nullo per inane labore.
 Diffusae coguntur aquae: mox limine certo
 liquuntur maria nec finem transilit unda.

50 Tunc oritur lux alma, dies quae iussa vocari,
 nascentem tenero perfudit lumine mundum,
 munus opusque tuum prodens, tua maxima dona,
 condere quae genitor patria pietate parabas;
 utque hominum sollers posset clarescere vita,

55 artibus aetheris quae totas ducere luces
 gaudet et ingenium diversa laude fatigat,
 insequitur nox atra diem densaeque tenebrae,
 corporibus somnos quae ferrent, otia fessis,
 et cunctis unam faciem similemque figuram.

60 Namque dies varia rerum discriminat ora
 et dat cuique suum disiecta nocte colorem;
 instigat animos opera ad maiora calentes,
 exacuens variis mortalia pectora curis:
 quo mage forma dies vitae, nox mortis imago est.

65 Tunc condens pater astra polo ac lumina didens,
 sidera distinguens variis pertecta figuris.
 Lucifer exsurgit roseus et fulgidus ore
 vesper, puniceos spargit Aurora capillos,
 Anguis agit sudum, important Pliades imbres,

70 sunt Iuga, sunt Plaustra, gemmantes flore Coronae,
 signaque bis senis annum volventia formis,
 multaque praeterea celsae domus ornamenta:

BRE

46 quoque *BRE* : quove *Mor.* || 47 labore *Mir.* : laborum *BRE* || 48 limine *BR* : lumine *E*
 : limite *Gill.* || 49 liquuntur *RE* : liquuntur *B Fabr.* | nec finem *BRE* : ac finem non *Mor.*
 || 50 alma : a₁ in ras. *B* | iussa *BRE* : iusta ²*Gill.* || 51 mundum *B Mir.* : mundo *RE* || 53
 parabas *B Mor.* : parabat *RE* || 55 luges ducere *transp. ante corr. R* : ducere vices *E* || 60
 varia *BRE* : varie *Mor.* : varias ... oras *Weitz* | discrimina *R* (-t add. man. al.) *E* || 62
 instigatque *RE* | opera *Mir.* : opere *BRE* *Mico* (*opus prosodiacum*, v. 207) || 65 didens *Peip.*
 : lumina videns *B* : lumine vivens *RE* : polos quoque lumine donans *Mor.* : polos ac
 lumine donans *Weitz* : polo ac lumine vivo *Quesn.* || 66 distinguens *BRE* : distinguit *Mor.*
 | pertecta *BRE* : per tecta *Mir.* : pertexta *Barth* || 67 roseusque et *Mor.* || 68 spargitque
Fabr. || 69 post sudum add. ast *Mor.* || 70 post plaustra add. et *Fabr.* | coronae *Mor.* :
 coronas *BRE* || 71 sinaque *Gill.* || 72 domus ornamenta *BRE* : ornamenti domus sunt *Mor.*

quis saeclum fulcit signis, et regia summi
picta parens varia stellarum luce coruscat.

Sed soli lux maior inest, quem munere largo 75
excultum, genitor, pleno dignaris honore.

Igneus ille iubar praecelso vertice tollit;
ore rubens patulo caeli per moenia fertur
astrorum ductor, mundi vegetatque elementa.

Ecce aliud mirum, mirum decus, o nova cursum 80
mutat luna suum; quos perdit colligit ignes,
cornuaque extinguens perturbat lumine frontem;
mox tamen ardescit completo circulus orbe,
noctilucum lumen pascit sata sidera luce.

Haec tamen, aeterno quae volvit machina aethrae, 85
non tantum pictura poli est, nec celsa voluntas:
mens ratioque subest et rebus utilis ordo.

Hinc doctrina venit terris, hinc denique cunctis
consilium agricolis et qui maria alta pererrant,
ut, se quaque ferant, luces praedicere possint, 90
venturos norint imbres siccumque serenum,
tempore quo tauros campis inducat arator
et dubium temptet securus navita pontum.

Instructos ignes caelo, pater optime, terras
excolere adgrederis et munere donas opimo 95
regna hominum pecudumque larem requiemque volucrum:
planescent campi, colles tumor arduus effert,
subsidunt valles, florentia prata virescunt,
saxaque durantur, pinguis se glaeba resolvit,
rumpuntur fontes, fluiis genus arduum unde est, 100
herbarum varia consurgunt gramina campis.

BRE

73 qui *Gill.* | fulsit *R* : fulscit *E* : fulcis *Mor.* | regia summa *R ante corr. ut videtur* :
regia summa *E* || 74 patens *Fabr.* || 78 ora *Gill.* | rubens *BRE* : patens *Weitz* || 79
vegetatque *conieci* : vigor adque *B* (*legi vix potest*) : viget atque *RE* : vigor atque *Mor.* |
elementi *Fabr.* || 80 o *B* : en *RE* | post cursum add. omnia *B* || 82 lumine *B* : limite *RE* ||
83 ardescit *B* || 85 haec *B Barth* : nec *RE* | volvit machina etre *B* : machina volvitur ethre
RE : machina volvitur axe *Fabr.* || 86 sed celsa volanti *Barth* || 87 utilis *BRE* : commodus
Mor. || 90 quaequae *B* | possint : -n- add. sup. lin. *B* || 93 tentet *Mir.* || 94 ignibus
instructo caelo *Mor.* || 95 dona sopimo *RE* : donas et munere opimo *Mor.* : et donas munere
opimo *Quesn.* || 96 laremque *RE* || 100 fluvius *RE* : fluiis cunctis genus unde est *Mor.* :
cunctis genus amnibus unde est *Fabr.* : fluiis genus arduum undae est *Desp.* || 101 variis *Mor.*

- Iamque seges tenera fructum fundebat arista,
 cum iuga nulla forent nec vomis, nullus arator,
 mugiret nullus proscissis taurus in arvis.
- 105 Ecce etiam vitis madido iam plena racemo,
 expers falcis adhuc et duri nescia ferri,
 pampineas celsis texebat collibus umbras.
 Diversa exoritur variarum forma ferarum,
 quadripedes animae necnon repentina terris
 110 nascuntur, pictis volucres per nubila pinnis.
 His ubi perfectis genitor iam divite mundo
 cuncta videt curam magni deposcere regis,
 qui mare, qui terras atque omnia nata gubernet,
 quique altum spectet caelum laudetque potenter
 115 munera magna dei, ne sint haec condita frustra:
 tunc „Faciamus, ais, hominem.“ Dic, optime, cum quo
 conloqueris? Clarum est: iam tum tibi filius alto
 adsidet in solio et terras spectat amicas.
 Sed „Faciamus, ais, hominem, cui[us] vultus imago
 120 noster erit, manibusque meis procedat in aevum.“
 Inde, opifex rerum, adsumis mollia terrae
 atque virum formas, cuius de costa cupito
 fit mulier vultu; mulier de costa viri fit,
 quo mage cara viro et lateri sit coniugis apta.
 125 O felix animal, summi cui dextra tonantis
 est pater; o felix nimium, qui ducis Olympo
 et genus et formam, si te non noxia terrae
 decipient vitia nec blandus subruat error:

BRE

102 arista *BR* (-s- add. sup. lin. *R*) : aristas *E* || 103 arator *conieci* : nec vomis nullus arator
B (-o legi vix potest) : nec vomer nullus aratri *RE* : vomer nullus aratro *Fabr.* : vomer ullus
 aratri *Grin.* || 105 gravido *"Barth* || 106 expres *B* || 108 merarum *B ante corr.* || 109
 repentina *RE* || 110 pennis *RE* || 111 perfectas *B ante corr.* || 112 curam *om.* *RE* :
 praesidium *add. E sup. lin.* : magni curam *Mor.* || 113 adque *B* : quique *Fabr.* | gubernat
RE || 114 potentis *Mor.* || 116 ais *B* : eis *RE* : ait *Mor.* : hominem faciamus ait dic optime
 quicum *Weitz* || 117 conloqueris *B* : non loqueris *RE* : nunc loqueris *E post corr.* | tum *B*
 : tunc *RE* || 118 terras et *transp. Weitz* | spectet *RE* (*E ante corr.*) : respectat *Mor.* || 119
 ait *Maitt.* | cui *Mor.* : cuius *BRE* || 120 meis *BR* : nostris *E post corr.* || 121 post adsumis
add. tibi Mor. || 122 formans *B* | de *BRE* : mox *Mor.* | cupito *Mor.* : cupid *BRE* || 123
 de *BRE* : nam *Mor.* || 124 post lateri *I litt. in rasura ut videtur B* || 128 nec *BRE* : et non
Mor.

numen eris caeloque redux mirabere regna,
 quae promissa bonis fido pater exhibet ore. 130
 Nam tibi multa deus nascenti contulit ultro:
 aetheriam primum faciem vultumque paternum
 incessumque pedum rectum, sublimia colla,
 ne qua mora in caelum oculis spectantibus esset;
 tunc alacres promptasque manus vitaeque ministras, 135
 atque domum divae pectus rationis et alti
 sedem consilii, facundae vocis honorem –
 haec soli concessa homini; nam cetera mutum
 et pecus obtinuit, ventrem, praecordia, nervos,
 venarum rivos et sparsum corpore sanguem,
 <laetitiae motusque> simul sensusque doloris. 140
 Tu vero, omnipotens, privato munere largus
 erga hominem manibusque tuis, operi[s]que favore<m>
 inpendens, patria pignus pietate colendo,
 ne quid divinis modo desit vultibus, ignem
 aetheris inspiras et sacrae mentis opimam
 indulges partem permixtus corpore toto. 145
 Hinc meminisse licet veterum, praesentia nosse
 hinc datur atque animae fas est ventura videre;
 hinc loquimur canimusque deum, hinc sidera *nota*,
 terrarumque viget cultus, pontusque movetur;
 hinc artes nomenque, pudor, prudentia, iustum;
 hinc animae surgunt fortes, hinc pergit honestum 150

BRE (126–131); ABRE (132sqq.)

124 post lateri *I* litt. *in rasura ut videtur B* || 128 nec *BRE* : et non *Mor.* || 132 aetheriam *B Zehn.* : aetheream faciem primum *RE* : *A legi non potest* || 134 caelos *Mor.* | expectantibus *B* : *A legi non potest* || 137 concilii *Zehn.* | facundae *Peip.* : fecundae *B* : fundendae *RE* : *A legi non potest* || 138 mutum *Barth* : motu *ABRE* : motum *Mor.* || 139 et *Peip.* : est *BRE* : *A legi non potest* : ut *Mor.* || 140 penarum *RE* (*E ante corr.*) | sanguem *B* : sanguē *A* (add. marg. dext.: nota sangūe) : sanguinem *RE* : sanguen *Mor.* || 141 laetitiae motusque *conieci* : iusti levique *B* : iuste levique *ARE* : et iusti laevique *Peip.* | laeticiaeque sinus duri sensusque *Mor.* | doloris *Mor.* : dolores *ABRE* || 143 erga *ABE* : ergo *R* | operique favorem *conieci* : operisque favore *ABRE* || 146 inspirasset *ABRE* || 147 toto *Grin.* : totam *ABRE* : permiscens corpore totam *Mor.* || 148 hinc *E Barth* : lunę *ABR* : tunc *Mir.* || praesentia nosse *AB* : praesentia mense *RE* : praescientia menti *Grin.* : praesentia menti *Col.* || 150 post hinc₂ add. quoque *Mor.* | nota *coniecit D. Weber* *mecum collocuta* : cuncta *ABRE* || 151 pōlusque *B* || 152 nomenque *ABRE* : manantque *Quesn.* || 153 animi *Mor.*

- et via quae dicit castos ad limina caeli.
- 155 Ergo hominem pleno perfectum munere terris
praeponis, genitor, et rerum tradis habenas:
cuncta habeat subdatque sibi, *heresque vocetur,*
telluris dominus, famulus tuus, omnia mundi
possideat, tantum domino tibi serviat uni.
- 160 Postquam primus homo vetito se pascere ligno
non timuit captusque dolis se praebuit angui,
stat reus, et nudus deiecto lumine vestem
inplorans dominumque fugit vultumque recondit.
Culpa comes sequitur, peccato obnoxia vita
- 165 debilitat vires, caelo venientia dona,
aethere demissus paulatim deficit ignis,
frigore peccati torpentina corda rigescunt:
cura cibi ventrisque subit et cura tegendi
corporis, et sacrum subeunt mortalia pectus.
- 170 Nascitur hinc proles peccati, germinat inde
deterior multo suboles, peiorque priori
progenies sequitur, gradibus ad crimina crescens,
crimina quae stimulis acuant dementia corda
teque, pater, variis armant terroribus ultro.
- 175 Tum primum venti coepere incumbere terris,
intempestivus descendere nubibus imber;

ABRE

154 et via *ABRE* : et tua *RE* : virtus *Mor.* | limina *ABR* : lumina *E ut videtur* || 156 et rerum *ABRE* : rerum cui *Mor.* || 157 *heresque vocetur vel vigiletque; vocetur ... haesitans scripsi* : vicefetque erogetu *AB* (viceretque erogetu *B ante corr. ut videtur*) : viceretque *R* : viceretque cuncta *E* : fieretque *Mir.* : vivatque perennis *Mor.* : fiatque perennis *Weitz* : vice sit genitoris *Peip.*, *qui etiam proposuit* vice sitque regentis || 159 possedeat *B ante corr.* | sibi *E ante corr.* || 160 vetitu *AB* | pascere *Mir.* : parceret *ARE* : parceret *B* || 161 agui *A* || 162 vestem : *post -s- I litt. in rasura B* || 163 fū̄t *B* || 164 culpas *AB* || 165 debilitant *Mor.* | vices *Gill.* : virus *Barth* || 166 pallatim *B ante corr.* || 168 subit et *AB* : subibat *R* (-ba- legi vix potest) : subivit *E* : subit ac *Quesn.* || 170 germinat *Mir.* : geminat *ABRE* || 171 multo suboles peiorque priori *Peip.* : multa suboles peiorque priori *A* : multo suboles peiorque prior est *B* : suboles multo peiorque priori *RE* || 172 ad *ABRE* : per *Fabr.* || 173 clementia *B ut videtur* || 174 armant terroribus ultro *Peip.* : armante proribus ultro *AB* : armante *R* (*corr. man. al.*: armant ad fulmina sacris) : caelum variis armante figuris *E* : armant punire periclis *Fabr.* || 175 venti coepere *Peip.* : venit opere *ABRE* : venienti operas *Mor.* : mala coeperunt *Fabr.* || 176 descendit *Mor.*

- fulmina tum primum caelo deiecta sereno,
horrida tum grando turbatos verberat agros,
et tonitru altisono infractus murmurat aether.
Nec tamen ista malos revocant: furor impius orbem 180
obsidet et laxis rabies defertur habenis.
Bella placent caedesque simul, periuria, fraudes,
mentirique libet, rapere est amor, abdere fulta;
nulla fides populis, nulla est iam veritas usquam.
Diluvio abluitur terrarum crimen et undis, 185
virque unus residet generis populique refector,
arca tegit paucos, castorum semina servans.
Iam tum venturi facies monstrata lavacri,
atque unus multi per quem data luce renati,
susceptos fido servans ecclesia portu. 190
Postquam diluvii cecidit tumor, unda resedit,
ales paciferae folium portavit olivae,
iam siccis revolans pinnis dedit omina pacis.
Tum populus surgit melior, tum purior undis
gens hominum, magnos terris paritura nepotes. 195
Inde sacerdotis in caelum dedita corda,
hinc inter flamas pueri cantare parati,
et puer, inpasti quem non tetigere leones.
Tum reges cecinere deum, tum vera prophetis
ora sonant caeli subole splendentia terris. 200

ABRE

178 tum : -m *legi non potest* *B* || 179 et tonitru *Mor.* : et tonitrua *ABRE* : tonitrua *Peip.* |
confractus *Mor.* || 180 orbem *E* : orbe *ABR* || 181 obsidit *AB* || 182 post simul 1–2 litt. *in ras.* *B* || 184 usquam *B ante corr.* : umquam *ABRE* | nulla est reverentia veri *Fabr.* || 186
post virque add. et *B* || 187 castrorum *E* (*et Peip. per errorem*) || 188 iam tum *ABRE* :
iamiam *Mor.* || 189 adque *B* : utque ^a*Barth* | multis *ABRE* | luce renati *AB* : lance renati
RE | multis per quem dat luce renatis *Zehn. teste Weitz* (*qui, eum secutus, in commentario
etiam renasci proposuit*) : multi per quem data luce renati ^a*Barth* et ^b*Barth* (*col. 888
Pulmanno secutus; col. 1448 id ipsum respuit.*) : multis per quem cataclisme renasti ^b*Barth*
(*col. 1448*) || 190 susceptos *A* : susceptor *B* : sed scelpos *RE* | portu *conieci* : partu *ABRE*
| sed septos servans ecclesia partim * *Mor.* : sed septos servans ecclesia parva tenetur *Fabr.*
: sic septos servans ecclesia parva tuerit ^a*Barth* : (vitam) susceptos servans ecclesia partus
Weitz || 191 post tumor *add.* et *AB* || 192 alis *AB* || 193 pennis *RE* | omina *Mor.* : omnia *R*
: omnia *AB* : oīa *E* || 194 melior *ABRE* : maior *Fabr.* | purior *ABRE* : prior *Grin.* |
melior quam prior in undis *Col.* || 196 sacerdotes *Quesn.* || 197 flamas : *post flam- 1 litt.*
in ras. *B* || 199 post profe- 1 litt. *in ras.* *B* || 200 sonat *Patrol.* | sobole *RE*

204

Quamvis cuncta deo servirent crimine victo,
 attamen antiqui etiamnum gutta veneni
 spargebat populos et erant vestigia fraudis,
 quae bonus ablueret doctor melioribus undis.

de ev.

[† Christus hic flos decoris fonsque perennis. †]
 Hunc postquam verbo conceptum numinis alti
 plena deo virgo utero est enixa pudico
 effulsitque novus terris gaudentibus infans,
 5 protinus implevit totum lux clarior orbem,
 desuper astra pios inhiant spectantia vultus,
 atque decus tantum iam terris invidet aether.
 At tellus ridens laetatur germe sacro,
 spargit humum violis alieno tempore † quotque
 10 aurea † purpureos submittit caespite flores.
 Omnia festa nitent: gaudet mare, nubila, venti;
 te solum trepidare metu, te, perfide serpens,
 ille dies aegrum vidi pallente veneno
 quassantemque caput et pectora dira terentem,
 15 quod salus e caelo terris, quod tutor adesset
 salvandos populos quaerens a faucibus atris,
 ereptam plagis plebem, maestoque ululatu
 prosequeris hominum vitam mundique salutes.
 Interea et sidus exortum numinis alti
 20 apparel caelis et terras lumine complet.

*ABRE*202 antiquos *Mor.* | etiam num *B* : etiam nunc *RE* : *A legi non potest* || 204 quo *Pol.**G*

carmen hilarii pictaviensis episcopi de evangelio *G* || 1 christus hic flos decoris fonsque perennis *G* : Christus hic floret decor is fonsque perennis *Ret.* : Hic Christus flos est decor hic est fonsque perennis *Pit.* : Christus hic flos <est> decor <hic> est fonsque perennis *Peip.* || 6 vultus *G* : -m *supra lin.* *G* || 7 tantum *Pit.* : tm *G* : tuum *Ret.* || 9 quotque *Peip.* : qrtq *G* : om. *Ret.* : natis *Pit.* || 10 aurea *G* : area *Pit.* || purpureas *G*, litt. o *supra litt.* -a- add. || submitt.. *G* (*duarum litt. spatium vermis ut vid. erosit.*) || 13 pallente *G* : pallere *Pit.* || 14 terentem *Pit*^{*G*} : tenentem ut. vid. *G*; *Ret.* || 15 e (*supra lin. add. G*) *Pit.* : et *G Ret.* || 17 ereptam *G* : ereptamque *Ret.* | plagis plebem *G* : plebem plagis *Pit.* || 18 prosequeris *G* : prosequens *Pit.* || 19 numinis *Pit.* : nominis *G* || 20 caelo *G, Ret.* : -is *supra lin. G, Pit.*

Agnovere magi stellam cunasque requirunt.
 Munera sacra ferunt, myrrhamque et suavia tura:
 tura deum monstrant, designat myrrha sepulchrum.
 Salve, vera dei proles, puer aethere misse,
 non commune genus nec moribus edite nostris; 25
 innuptae matris pignus uterique pudici
 partus et intactae mirandus virginis infans:
 Quamvis illa pio iactet se nomine matrem,
 fingentis quandam ventris imitata tumorem,
 ostentetque tuas cunas risuque salutet, 30
 virgo, tamen mater et magni coniugis expers,
 ignorat causam subolis, sed gaudia novit.
 Tu sacri sermonis opus, satus ore paterno,
 verbigena dives, linguae mirabile germen,
 commixtumque genus caeli terraeque potenter, 35
 ut caeli terraeque simul te cura moveret;
 tu virtute leo, placidis tu mentibus agnus;
 tu strator gladiusque patris, tu dextera summi,
 vivorum iudex, iudex tu luce carentum.
 Cuncorum genitor solum te dicere natum 40
 dignatur; solus communis cura parentum,
 heres tantorum solus tu iure bonorum.
 Hunc tu olim, dictis variata imagine rerum,
 spondebas terris, genitor, per carmina Regum,
 perque prophetarum voces, per sidera caeli, 45
 per Seraphin Cherubinque tuum. Modo pandere fas sit
 o celsa secreta poli! Nam quattuor altum
 circumdant solium variis animantia formis:
 primum hominis facies, aliud sunt ora leonis,
 inde aquilae vitulique caput; his omnibus alae. 50

G

23 sepu ... tres fere litt. verm. eros. G : sepulchrum Ret. : sepultum Pit. || 24 misse conieci
 : misso G : missus Pit. || 29 fingentis quandam ventris imitata minores G : quandam ...
 tumorem Pit. || 31 et verm. paene eros. G || 33 satus Pit. : satis G || 36 moveret Peip. :
 moneret G : maneret Pit. || 38 strator coniecit K. Smolak mecum collocutus : sator G :
 satus Pit. : stator Peip. || 41 solus conieci : solum G || 44 regum : dd sal add. supra lin. G
 (i. e. David Salomo) || 46 pandere G : pondere Ret. || 47 o celsa G : [carmine] celsa Pit. :
 excelsa Peip. || 49 aliud sunt ora Peip. : aliud st ore G, litt. a supra litt. -e add. : aliud stat
 ore Ret. : alias stant ora Pit. || 50 vituli : litt. -tu- verm. eros. G

Divisae officiis hae sunt; nam maxima summi
 ora dei velant semper faciemque coruscam
 praetexunt, nimius noceat ne fulminis ardor
 optutusque sacer feritet ceu fulmine mundum;
 55 atque aliae involvunt similes vestigia sacra,
 ne forte incendat pressas vis ignea terras;
 ternaque tum binae volitant per moenia mundi
 auratasque ferunt pennas, et lumine multo
 pervigiles discunt urbes actusque precesque.
 60 Haud dubia his formis Christi monstratur imago:
 namque et homo est Christus, mortis gustator amarae,
 et virtute leo est, indoctos caedere ferro;
 et vitulus, quoniam est peccantis victima mundi,
 qui bene pro cunctis impenditur hostia terris.
 65 Quid faciat aquilae post haec *si* forma requires:
 Permitte praedam caelo sacer ales ovantem:
 67 Christus erit, terris raptum qui collocet astris
 71 *ipseque terrigenam* referens, veniam ipse propagans.
 68 Namque ille in caelis placido bonus interventu
 vulnera peccantium celat graviora, parentem
 70 mitigat, et terris iratum temperat ignem.
 72 At tu, magne pater, nati pietate quietus,
 sublimi residens solio, opera ardua cernens,

G

51 hae sunt *Pit.* : .. st G (*duarum litt. spatium verm. eros.*) : hae stant *Ret.* || 52 velant *Peip.* : volitant *G* | semper *G* : circum *Pit.* || 54 optutusque *conieci* : optutuque *Peip.* : optatumque *G* : oppetitumque *suisit Pit.* | feerit *G* : feritet *Ret.* : feriat *Peip.* | ceu *G* : neu *Pit.* || 55 aliae *G* ut *videtur* : alae *Pit.* | similes *legi vix potest G* || 61 gustator *Ret.* : gustator *vel* gustatus *G* (*legi vix potest*) || 62 indoctos *Pit.* : indoctis *G* || 63 quoniam *Pit.* : qm *G* : quum *Ret.* || 65 quid faciet aquile post haec qui formam requires *G* : quid faciet aquila post haec qui formam requiris *Ret.* : quid facies aquilae post haec quis forte requirit *Pit.* : si forte requiris *suisit Pit.* : quid facies aquilae post haec quid forma requiris *Peip.* : quid facies aquilae post haec quid formam requires ²⁰⁰¹*Kr.* || 66 ovantem *conieci* : ovans *Pit.* : ovantis *G* || 67 qui *conieci* : quem *G* || 68 placido bonus *Pit.* : placidus bono *G* || 69 gravis ora parentum *G*, *Ret.* : graviora add. *supra lin. G* : graviora parentum *Pit.*, *Peip.* : gravia ora *suas. Peip.* : parentem *conieci* || 71 *versum transponendum censui / ipseque conieci* : actaque *G Ret.* : ac tu qui *Pit.* : tu qui *Peip.* (ac olim voculae at *insequentis versus superscriptum fuisse putat*) | terrigenam *conieci* : terrigeno *G* || 72 at tu *G* : et tu *Pit.* : ac tu *Peip.* | nati *conieci* : natum *G* : natu *Pit^G* || 73 residens solio *G* : solio residens *Pit.* || 73/74 lacunam statuit *Manitus, M., Geschichte der christlich-lateinischen Poesie bis zur Mitte des 8. Jahrhunderts, Stuttgart 1891, 104, Anm. 1.*

* * *

oceani ceu forma maris vitreique elementi.
 Tum senior domino servit chorus hymno peritus, 75
 bis duodena virum facies, et crinibus albis;
 caesariem rutilae ex auro pressere coronae
 involvitque humeros stola candida, mitis amictus;
 surgentes crebro capitis vincimina ponunt,
 te dominum linguis, te consona voce canentes: 80
 „Agie, sancte deus, vigor ignee, celse Sabaoth!“
 Teque genus hominum celebrat sermone frequenti,
 te pecudes volucresque sonant, te muta loquuntur,
 te canit omne nenum, colles vallesque supinae;
 te venti strepitant, pelagi te murmurat unda. 85
 Sacrorum ritu vario templisque dicatis
 in nemore incluso, sculptis de marmore templis,
 aere cavo positis signis picturaque inani
 te gentes populique colunt, tibi vota precesque
 suscipiunt, numenque tuum nomenque requirunt. 90
 Ac velut in tenebris errat, cui lumen ademptum:
 sentit adesse hominem; qui sit, ubi denique sistat,
 nescit, et ignarus per inania brachia iactat,
 prendre si possit tactumque adsistere saltem:
 non aliter gentes, caecis erroribus actae, 95
 ante oculos positum quaerunt; sed lumine cassae
 transiliunt ipsum quem quaerunt; ludicra captant
 effigiesque locant varias et nomina mille
 imponunt uni, si possit adesse vocatus.
 Illos culpa premit gravior, quibus adstitit ipse 100
 ante oculos doctor verus, quibus ore locutus,
 quos prece, quos dictis monuit, quos denique factis.
 Nec videre tamen caeci, cum lumen adasset
 per populos clarum, factis celebrans genitorem.

G

78 amictus *Peip.* : amictum *G* || 79 ponunt : de *add. supra lin. G* || 84 sopinae *G* || 86
 templisque *G* : templique *Pit.* || 90 suscipiunt *Ret.* : suspiciunt *G* || 91 numenque tuum
 nomenque *Pit.* : nomenque tuum nomenque *G* | iudei et pagani *add. mg. G* || 92 qui *G* :
 quis *Pit.* || 94 adsistere *G* : assistere *Pit.* || 100 adstitit *Pit.* : adstetit *G* || 104 de para *add.*
mg. G (*i. e. de paralytico*)

- 105 Namque iacebat homo, pallenti marcidus ore,
 cui inerat morbis corpus compage solutum
 viventisque animae dudum iam mortua membra;
 „Surge“, ait, „atque tui iam lecti baiulus esto.“
 Exilit atque alacer humeris vehit ipse cubile.
110 Ecce trahebatur caecus, quem lumine mater
 ediderat viduum, communis lucis egentem,
 non totum natum, mundi quia parte carebat.
 Ut vidit, miseratus ait: „Hunc cernere iussi!“
 Protinus ad caelum caecus nova lumina tollit.

* * *

G

105 homo *Pit.* : humo *G* || 106 morbis *G* : morbi *Pit.* || 109 de caeco nato *add. mg. G* ||
113 post ait paulum supra lineam dominus *add. G* (*ut videtur, nam legi vix potest*)

